

472

470

476

466

481

461

421

371

Ende

Anfang

457

Inveniuntur enim in aestate valles frigidissimae, adeo, quod in
mense Augusti villani glacies et nives in locis umbrosis val-
lium reperiunt, et ad vasa terrea ponunt, et in civitatibus
vendunt divitibus, qui vinum in eis refrigerant. Sunt etiam
montes aliqui adeo frigidi, quod semper habent cacumina ni-
vibus opera, sicut mons Libani, de quo dicitur Jerem. 18:
Numquam deficiet nix Libani. Candia, insula calidissima,
numquam caret nivibus in certis vallibus et cacuminibus, sicut
manifeste vident in aestate contra Candiam navigantes. E
contrario reperiuntur valles adeo calidae, ut numquam possit
ibi nix aut glacies ad horam manere, etiam in medio hieme;
similiter montes, prae caumate calvi sunt, omni viriditate
carentes. De his autem vallibus calidis est haec Bethlehem-
tana una, quae nives nescit, glacies ignorat, et in ea circa
festum nativitatis Domini hordeum incipit habere spicas, et
ideo ex aliis locis mittuntur in eam bestiae, ut hieme ibi pa-
stum habeant et impinguentur, et emunt ibi certas petias
terrae ad tempus. Ideo lingua eorum tempus nativitatis Do-
mini dicitur tempus ad herbas. Per aestatem autem ferves-
cente sole est terra arida et adusta, et cum in Septembri
solis fervor mitescit, omnia terrae nascentia incipiunt vires-
cere, sicut apud nos in Aprili, nisi quod virgulta non produ-
cunt illo tempore flores. Nec tamen est calidum illud tempus,
sed recens, quo homines affligi possunt frigore. In Majo vero
est plena messis. Ex quibus omnibus patet, quod tempore
nativitatis Christi poterant manere pastores cum gregibus
in valle, quia erat calida et virens, nec gelu constricta erat
terra, sicut forte erat superius, ubi Christus fuit natus, ubi
et nives, et glacies et gelu erant. Patet etiam ex dictis,
quod non duo vel tres pastores ibi erant, sed multi per totam
vallem, forte ultra XL, quia non solum de Bethlehem, sed de
regionibus per circuitum erant ibi bestiae cum suis pastoribus,
nocte dieque ibi manentes. Et necesse fuit adesse multos,
propter leonum, ursorum et aprorum incursum, et propter
fures et latrones, qui ab antiquo usque hodie in solitudinibus
Jordanis morantur, viventes solum de furtis et rapinis, contra
quos necesse erat esse multos pastores, qui non solum voca-
bus, sed et fustibus arcere possent a gregibus tam nocivas

